

quam vim verba à sanctis Dei hominibus usurpata tum pro se,
tum in compositione & collocatione habeant ad quicquam signi-
ficandum: alterum, ut, quid simplicissimè & plenissimè & scopo
convenientissimè significant, judicetur. In priori genere τὸ λε-
ξικόν, in altero τὸ ἀναλυτικόν dominatur. Quorum alterum alteri
manus auxiliares in omni interpretatione porrigit. Uti enim
singulæ voces (quæ plura significare vel sua natura vel ex usu pos-
sunt) quid velint, ex aliis ejusdem propositionis membris rerumq;
aptitudine statui solet; ita quid dubiæ aut latioris potestatis propo-
sitiones intendant, ex filo & intentione integræ orationis defini-
endum est. Causæ enim dicendi certissimè mentem loquentis pa-
tefaciunt. De hoc ipso notum est illud Hilarii: *Intelligentia dictorum ex
causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus.* A-
nalysis autem ea est, quæ, quid & cur dicatur, explicat. ut, qui ana-
lysin neglexerit, sensum verbi tenere, dicendus non sit. Quan-
tumvis enim ex vocibus veritatem aliquam acceperit, tamen, quia,
qua ratione & fine adeoque fructu ea veritas posita sit, ignorat,
quod in oratione maximum est, ignorare censendus est. Porro
quæ interpretatio & proprietati vocum adhærescat, & in ordine
orationis causas ostendar aptissimas, si ἀναλογία τῆς πίστεως, hoc est,
certæ & cognitæ ex aliis scripturarum partibus veritates, suffra-
gentur sententiæ, eam rejiciendi aut omni alii, quàm libet maximæ
autoritatis, interpretationi posthabendi, nulla causa, nullum jus
superest. Ita enim existimandum est, Spiritum sanctum, fontem
omnis sapientiæ, quàm sapientissimè locutum esse; ita scil. ut se lo-
qui velit sapientissimus quisque, qui à docilibus & studiosis & iis,
ad quos intelligentia pertinet, intelligi cupiat. Neque enim scri-
pturarum autor, Apollinis more, est λοξός, ambiguus, obliquus,
perplexus, intricatus, perturbatus. Enimverò ut divina oracula o-
ptimo ordine summaque constare harmonia putandum est; ita in
ejus investigatione non modò aliquod, quasi per ἀφοσίωσιν, sed
summum & contentissimum studium ponendum est. Sæpe enim
fit, ut alio tempore aliæ se tibi rationes ostendant (divēs enim scri-
pturæ vena est) & meliùs quoque ac liquidiùs judices. Et sunt, ut in
aliis partibus, alia aliorum dona. Ut verò de concinnitate analyse-
ως rectiùs ac commodiùs queas pronunciare, utile est, ut partes
sektionesque quasi in synoptica tabella, versu paulatim cum parti-
tionis progressu diminuto, disponantur. Quod institutum à præ-
ceptoribus acceptum libenter in meditationibus nostris retine-

m us: